

4. Sed illud matrimonium fuit divinitus inspiratum. Ergo fuit perfectum.

Praeterea, per matrimonium non dicuntur aliqui conjuges, nisi sit perfectum. Sed Maria dicitur conjux Joseph, Matth. 1. Ergo fuit inter eos perfectum matrimonium.

Solutio. Respondeo dicendum, quod duplex est perfectio matrimonii. Una quantum ad esse ipsius, quae fit per consensum verbis de praesenti expressum; et tali perfectione matrimonium illud perfectum fuit. Alia est perfectio quantum ad operationem; et sic non fuit perfectum, quia actus proprius matrimonii est carnalis copula.

Ad primum ergo dicendum, quod beata Virgo absolute in matrimonio consensit, ut certificata divinitus; sed in matrimonio sic consentiens virginitatem suam Deo commisit in littera dicitur.

Ad secundum dicendum, quod significatio non quaelibet est de essentia sacramenti, sed illa qua significatur effectus sacramenti; et ideo ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de secunda perfectione quae consummatio dicitur matrimonii.

Ad quartum dicendum, quod proles non dicitur bonum matrimonii solum in quantum per matrimonium generatur, sed in quantum in matrimonio nascitur et educatur; et sic bonum illius matrimonii fuit proles illa, et non primo modo. Nec tamen de adulterio natus, nec filius adoptivus qui in matrimonio educatur, est bonum matrimonii: quia matrimonium non ordinatur ad educationem illorum, sicut hoc matrimonium fuit ad hoc ordinatum specialiter quod proles illa susciperetur in eo, et educeretur.

Ad quintum dicendum, quod Joseph noluit eam dimittere quasi aliam ducturus, vel propter aliquam suspicionem, sed quia timebat tantae sanctitatis cohabitare propter reverentiam; unde dictum est ei: *Noli timere*; Matth. 1, 20.

ARTICULUS III.

Utrum matrimonium illud fuerit aliquando consummatum.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod matrimonium illud fuerit aliquando consummatum. Dicitur enim Matth. 1, 18: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*. Et item 23: *Non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum*. Ergo videtur quod post cognoverit eam.

2. Praeterea, primum dicitur respectu secundum. Sed Christus in auctoritate inducta dicitur primogenitus filius Virginis. Ergo post primum habuit alium; et sic matrimonium illud, saltem post Christi natiuitatem, consummatum fuit.

3. Praeterea, non defuerunt verba Evangelistae ad exprimentum suam intentionem. Sed nunquam expresserunt, quod Joseph amplius eam non cognosceret. Ergo post Christi generationem matrimonium fuit consummatum.

4. Praeterea, Joseph dicitur pater Christi in pluribus Evangelii locis, et dicitur etiam habere fratres; quod non esset, si matrimonium illud nunquam fuisset consummatum. Ergo etc.

5. Praeterea, duo corpora non possunt simul esse in eodem loco. Ergo Christus non potuit exire de ventre matris integritate virginitatis manente; et

sic non fuit inconveniens quod matrimonium illud consummaretur.

6. Praeterea, Abraham et alii patres qui conjugii usi sunt, maxime dignitatis fuerunt. Ergo nihil deperisset matri Christi, si matrimonium consummasset.

7. Praeterea, Helvidius objicit: Si turpe est Christo matrem cognosci post partum, quanto magis per genitalia virginis esse natum.

Sed contra, virginitas corruptioni praenotitur. Sed mater Christi debuit esse in excellentissimo statu. Ergo debuit esse virgo; et sic non debuit illud matrimonium consummari.

Praeterea, non est probabile quod Joseph aunderet uterum quem templum Dei noverat, attingere, ut Hieronymus dicit (contr. Helvid.).

Solutio. Respondeo dicendum, quod mater Christi ante partum et in partu et post partum in aeternum virgo permansit. Sed ejus virginitas ante partum Judaici et Ebionitae derogant, dicentes, Christum ex Joseph semine esse natum. Ejus autem virginitas in partu Philosophi derogabant, dicentes, non posse duo corpora esse in eodem loco. Sed virginitas ejus post partum Helvidius quidam idiota et sacerdos ausus est derogare, quod loquacitatem faciundam aestimans, accepta materia disputandi, a blasphemis matris Dei incepit, dicens eam post partum a Joseph cognitam; et contra quem Hieronymus librum conscripsit.

Ad primum ergo dicendum, quod *antequam* non semper denotat ordinem ad illud quod futurum est secundum rei veritatem, sed quandoque ad illud quod futurum speratur secundum communem eum, secundum quod dicitur: *Iste, antequam haberet viginti annos, mortuus est*; et sic est in proposito. Et similiter *ly donec*, quandoque significat hoc quod praecessit, terminari veniente eo quod expectatur, et cum dicitur: *Sede hic, donec veniam*; quandoque autem non sic, ut cum dicitur 1 Corinth. 13, 23: *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*; non quod tempus regni ejus finiatur ad subjectionem inimicorum; sed subiectio inimicorum in tempore regni includitur.

Ad secundum dicendum, quod primogenitus dicitur ante quem nullus, quamvis post ipsum non sit alius; alias unigeniti jus primogeniturae non haberent, nec debuissent Deo offerri in lege: quod falsum est.

Ad tertium dicendum, quod Evangelistae ex eo quod minus est credibile, dimiserunt intelligendum hoc quod magis credibile est. Minus autem credibile est quod virgo concipiat (quod Evangelistae dixerunt), quam quod post partum virgo conservetur; et ideo non curaverunt hoc dicere.

Ad quartum dicendum, quod Joseph dicitur pater Christi putativus, ut patet Luc. 3. Et iterum Christus fuit filius ejus adoptivus, ut quidam dicunt. Alii autem dicitur sunt fratres ejus ratione cognationis, quia erant de eadem familia: quia nec Maria alium filium habuit, nec Joseph, qui etiam virgo fuit, ut dicitur.

Ad quintum dicendum, quod verum est per naturam; sed per miraculum potest fieri quod duo corpora sint in eodem loco, ut infra, dist. 44, dicitur. Partus autem ille et conceptus totus miraculosus fuit. Quidam tamen dicunt, quod Christus tunc dotem subtilitatis assumpsit. Sed primum est melius.

Ad sextum dicendum, quod quamvis status con-

jugii consummati sit bonus, tamen status virginitatis est multo altior; et hic matri Dei debebatur.

Ad septimum dicendum, secundum Hieronymum (cont. Helvid., cap. 7), quod quanto sunt humiliora quae pro me passus est, tanto ei plus debeo; dummodo per haec perfectioni virtutis nihil subtrahatur. Sed virginitas privato derogato perfectioni matris ex parte virtutis animae.

Expositio textus.

Si enim diabolus transfigurans se in Angelum lucis credatur bonus, non est error periculosus. Hoc intelligendum est, quando non proceditur sub conditione, si est Christus; alias (1) esset periculum idolatriae.

(1) Al. non esset.

DISTINCTIO XXXI.

De tribus bonis conjugii.

Post haec de bonis conjugii quae sint, et qualiter coitum exensent, dicendum est. Tria sunt principaliter bona conjugii; unde Augustinus (lib. 2 super Genes. ad lit., cap. 7): « Nuptiale bonum tripartitum est; scilicet fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne post vinculum conjugale cum alio vel alia coeatur. In prole, ut amator suscipiat, benigne nutrietur (1), religiose educetur. In sacramento, ut conjugium non separetur, et dimissus vel dimissa, nec causa prolis, alteri conjugatur. »

De duplici separatione.

Separatio autem gemina est; corporalis scilicet, et sacramentalis. Corporalis possunt separari causa fornicationis, et ex communi consensu causa religionis, sive usque ad tempus, sive usque ad finem. Sacramentaliter vero separari non possunt dum vivunt, si legitime personae sint. Manet enim vinculum conjugale inter eos, etiam si alii a se discedentes adhaeserint. Unde Augustinus (de Nupt. et Concep., lib. 1, cap. 10), et habetur in Decr., causa 52, quaest. 7, cap. 1: « Usque adeo »: « Usque adeo manent inter viventes » semel inita iura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges » etiam separati, quam cum aliis quibus adhaeserunt. « Item (paulo post): « Manet inter viventes quoddam conjugale vinculum, quod nec separatio nec cum altero copulatio possit auferre; sicut apostatae anima de conjugio Christi recedens, etiam fide perdit sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accipit. Redderetur enim reus, si amisset abscedens. Habet autem hoc qui recessit, ad cumulum supplicii, non ad meritum praemii. » Item (cap. 11): « Quibus placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum continere, absit ut vinculum inter illos conjugale rumpatur; immo firmius haec » ret (2), quo magis ea pacta secum gerit (3), quae carnis concordiusque servanda sunt, non voluntatis (4) corporum nexibus, sed voluntatis animorum affectibus. » Et attende, quod tertium bonum conjugii dicitur sacramentum, non quod sit ipsum conjugium, sed quia ejusdem rei sacrae signum est, id est spiritualis et inseparabilis conjunctionis Christi et Ecclesiae.

Haec tria non adsunt omni conjugio.

Et est sciendum, ab aliquibus contrahi conjugium, ubi haec tria bona non comitantur. Deest enim fides, ubi vir cum alia, et mulier cum alio coit. Hoc ergo bonum ita conjugio adhaeret, ut ex eo, si adsit, amplius commendetur conjugium;

- (1) Al. deest benigne nutrietur.
(2) Nicolai: erit.
(3) Idem intulerit.
(4) Al. voluntatis.

Si quis haereticus nomine Augustini vel Ambrosii alicui catholico se offerret, nunquam ad suae fidei imitationem vocaret, si ille assentiret, in cuius fidei sententiam diceretur consensisse? Hoc est verum quando non procederet ad expressionem alicujus erroris; alias esset ibi periculum infidelitatis, si ei consentiret. Consensit in carnalem copulam: non explicito, sed implicite, ut dictum est.

Jacob Rachel decoram facie et venusto aspectu amavit. Sciendum, quod decor faciei non fuit causa principalis, sed secundaria; et hoc bene potest esse sine peccato, vel quandoque etiam sine veniali (1) peccato. Si autem esset principalis causa libido pulchritudinis, non excusaretur a peccato mortali, si esset effrenata libido.

(1) Forte cum veniali.

si non adsit, non inde annihilatur. Quae enim adultera est, non iteum conjux non est; immo si conjux non esset, adultera non foret. Quod cum fit, culpa committitur, sacramentum vero non cassatur. Bonum quoque prolis non omnibus adest conjugibus. Quidam enim pari voto continentiam servant; alii pro aetatis defectu, vel alterius rei causa, generare non valent. Nec omnes illi etiam qui prolem recipiunt, bonum prolis habent. Nam bonum prolis dicitur non ipsa proles vel prolis spes, quae ad religionem non refertur, immo ad hereditariam successionem, ut cum quis heredes terrenae possessionis habere desiderat; sed spes ac desiderium quo proles ad hoc quaeritur ut religione informetur. Multi ergo prolem habent, qui tamen bono proleis carent; nec ideo tamen conjugium esse desinit. Sacramentum vero ita inseparabiliter conjugio haeret legitimarum personarum, ut sine illo conjugium non esse videatur: quia semper manet inter viventes vinculum conjugale, ut etiam interveniente divortio fornicationis causa, conjugalis vinculi firmitas non solvatur. Ubi vero inter legitimas personas contrahitur conjugium, non adest illud bonum quod dicitur sacramentum: quia potest solvi talium copula, de quibus post dicitur (dist. 54): « Quod vero conjugium sit inter eos qui conjugali affectu, non tamen gratia prolis, sed explendae libidinis, conveniunt, nec fornicarii sed conjuges appellantur, ostendit Augustinus inquis (de bon. conjugali cap. 5 et habetur in Decr., causa 52, qu. 2 cap. 1. Solet »: « Solet quaeri, cum maseculi et femina (nec ille maritus, nec illa uxor alterius), sibi mel non filiorum procreandorum, sed pro incontinentia (1) solus concubitus causa copulantur, ea fide media ut non illa cum alio, nec ille cum altera faciat, utrum nuptiae sint vocandae. » Et potest fortasse non absurde hoc appellari concubium, si usque ad mortem alicujus eorum id inter eos placerit; et prolis generationem, quamvis non ea causa conjuncti sint, non tamen vitaverit, ut vel noluit sibi nasci filios, vel etiam opere malo aliquo agant ne nascantur. Ceterum si vel utrumque, vel unum horum desit, non invenio, quomodo has nuptias appellare possimus. Etenim si vir (2) aliquum sibi ad tempus adhibuerit, donec aliquam dignam honoribus aut suis facultatibus inveniat quam in conjugio adducat; non animo ipso adulter est, nec cum illa quam cupit inveiare, sed cum ista, cum qua sic cubat ut cum ea non habeat maritalia consortium, adulter est. » Ecce conjuges dicuntur qui solus concubitus causa conveniunt, si tamen prolis generationem aliquo modo dolo non vitent.

De his qui procurant venena sterilitatis.

Qui vero venena sterilitatis procurant, non conjuges, sed fornicarii sunt. Unde Augustinus (de Nupt. et Concep., lib. 1, cap. 15, et habetur in Decr., causa 52, quaest. 2, cap. 1. Aliquando »: « Aliquando eoque pervenit haec libidinosus

- (1) Nicolai: propter incontinentiam.
(2) Al. deest vir.

cruditatis, vel libido crudelis, ut etiam venena sterilitatis procuret; et si nihil valuerint, conceptus fetus intra viscera aliquo modo extinguit vel fundat, volendo prolem suam prius inderere quam vivere; aut si in utero vivebat, occidi antequam nasci. Prorus si ambo tales sint, conjuges non sunt; et si ab initio tales fuerint, non sibi per concubium, sed stuprum potius conveniant. Si vero ambo tales non sunt, audeo dicere, aut illa quodammodo est mariti meretrix, aut ille adulter uxoris.

Quando sunt homicidae qui procurant abortum.

Hic quaeri solet de his qui abortum procurant, quando iudicentur homicidae, vel non. Tunc puerperium ad homicidium pertinet, quando formatum est, et animam habet, ut Augustinus super Exod. (quaest. 80) asserit. Informe ante puerperium, ubi non est anima viva, lex ad homicidium pertinere noluisset (1). Dicit etiam Augustinus (2), quod informe puerperium non habet animam: ideoque impletur pecunia, non redditur anima pro anima. Sed jam formato corpori anima datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine derivata. Nam si cum semine et anima existit de anima, tunc et multae animae quotidie pereunt, cum semen ex fluxu non proficit (5) natiuitati. Primum oportet domum compariari, et sic habitatore induci. Cum ergo linea mentis composita non fuerit, ubi erit anima? Item Hieronymus ad Algasiam (epist. 151, quaest. 4): «Semina paulatim formantur in utero, et tandem non reputatur homo (4) donec elementa conlecta (5) suis imaginis membraque suscipiant. Ex his apparere tunc eos homicidas esse qui abortum procurant, cum formatum est et animatum puerperium.

De excusatione coitus qui fit per haec bona.

Cum ergo haec tria bona in aliquo conjugio simul concurrant, ad excusationem coitus carnalis valent. Quando enim servata fide tori, causa prolis conjuges conveniunt, sic excusatur coitus, ut culpam non habeat. Quando vero deficiente bono prolis, fide tamen servata, conveniunt causas incontinentiae, non sic excusatur ut non habeat culpam; sed venialem. Unde Augustinus (de bono conjugii, cap. 6): «Conjugii gaudium concubitus gratia non habet culpam; concupiscentiae vero servanda, sed tamen cum conjugio, propter ter tori fidem, venialem habet culpam.» Item (6) «Hoc quod conjugati victi concupiscentia utuntur invidiam ultra necessitatem liberos procreandi, ponam in his pro quibus quotidie dicimus: Dimitte nobis debita nostra.» Ubi autem haec bona desunt, fides scilicet et proles, non videtur coitus defendi a crimine. Unde in sententia Sixti (7) Pythagorici (8) legitur: «Omnis ardentior amator propriae uxoris adulter est.» Item Hieronymus (contra Jovinianum, lib. 4): «Sapientis iudicio amat conjugem, non affectu: non regnat in eo impetus voluptatis, nec praecipit fertur ad coitum. Nihil est foedius quam uxorem amare quasi adulteram. Qui dicitur se causa humani generis uxoris jungi, inveniuntur saltem peccata; et postquam venter uxoris in-

(1) Nicolai. Vel sic plenus: «Quod lex non formatum puerperium noluisset ad homicidium pertinere, profecto nec hominem deputavit (id est, non computavit pro homine) quod tale utero geritur. Hic vero de anima quaestio solet agitari, utrum quod formatum non est, ne animatum quidem possit intelligi; et ideo non sit homicidium, quia nec nec exanimatum dici potest, si adhuc animam non habebat; dicitur enim in Exodo (cap. 21): Si percuterit quis mulierem fetum in utero habentem, et extiterit infans nontum formatum, delictum tantum patitur ut mulieris in dixerit. Si autem jam formatum fuerit, dabit animam pro anima. Ubi quid aliud intelligitur nisi et ipse morietur?» Et inferius rursus: «Si ergo illud informe puerperium jam quidem fuerit, sed adhuc informis animatum, ideo lex noluisset ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest anima viva in corpore quod sensu caret etc.» Dicit etiam Augustinus etc.

(2) Vel Auctor questionum novi et veteris testamenti, cap. 225 (Ex edit. P. Nicolai).

(3) Nicolai: cum semen fluxu quodam non proficit etc.

(4) Al. homicidium.

(5) Hieronymus: confusa.

(6) Apud Hugonem de Sancto Victore in tract. 7 Summae Sententiarum, cap. 5 (Ex edit. P. Nicolai).

(7) Nicolai: Xisti.

(8) Et Hieronymus refert loco mox indicato (Ex edit. P. Nicolai).

munerit, non perdat filios, nec amatores se uxoris exhibeant, sed maritos (1). In matrimonio opera liberorum concessa sunt, voluptates autem quae de metreticum amplexibus capiuntur, in uxore damnatae.

De indulgentia Apostoli, quomodo sit accipienda.

Sed si concubitus qui fit causa prolis, culpa caret; quid Apostolus secundum indulgentiam permittit? Ita enim ait (1 Corinth. 7, 6): «Hoc autem dico secundum indulgentiam.» Cui enim praestatur venia nisi culpa? Per hoc etiam quidam probare volunt, nuptias esse peccatum. Sed, ut praedictum est, indulgentia alia est concessio, alia permissio (2). Egerat Apostolus de Nuptiis et de carnali coitu, et ad utrumque retulit illud: «Hoc autem dico secundum indulgentiam.» Indulgentiam enim nuptias secundum concessionem et concubitus nuptialis qui fit tantum causa prolis; concubitus vero qui est praeter necessitatem generandi ob incontinentiam, indulgetur secundum permissionem: quia ibi est aliqua culpa, sed levis. Ideoque non jubetur nec conceditur, sed permittitur: quia non est laudabilis, sed venialis. De hoc Augustinus sic ait (3) (de verbis Apost. cap. 10):

«Forte aliquis dicit: «Si veniam concessit Apostolus, ergo peccatum sunt nuptiae: cui enim venia nisi peccato conceditur? Plane quod infinitum permittit secundum veniam, audeo dicere peccatum esse; veniam namque concessit Apostolus, concubitus attendit conjugatorum, ubi est incontinentiae malum. Incontinentiae malum est quod vir cognoscit uxorem etiam ultra necessitatem procreandi liberos; sed et ibi est nuptiarum bonum. Non enim quia incontinentiae malum est, ideo conjugium, ubi est concubitus praeter intentionem generationis, non est bonum. Non propter illud malum culpabile est hoc bonum; sed illud malum fit veniale propter bonum nuptiale; quod non reprehendit Apostolus, sed malum incontinentiae.» Item (de bono Conjug. lib. 1, cap. 10): «Concubitus qui non fit causa prolis, nuptias non cogit fieri, sed impetrantur ignoscit; si tamen non ita sit inmensum ut impediatur tempora quae orationi debeantur, nec immutetur in eum usus qui est contra naturam. Concubitus enim necessarius causa generandi inculpabilis, et solus ipse nuptialis est. Ille vero qui ultra necessitatem progreditur, non rationi, sed libidini obsequitur; et hunc non exgere, sed reddere conjugii, ne fornicetur, ad conjugem pertinet. Si vero ambo tali concupiscentiae subiguntur, rem faciunt quae non est nuptiarum; cuius delicti non sunt nuptiae hortatrices, sed deprecatrices. . . . (4) Deus quidem conjugale esse castitas procreandi, et reddendi carnalis debiti fides. Hoc est opus nuptiarum, quod ab omni peccato defendit Apostolus, dicens (1 Corinth. 7, 28): Non peccat virgo si nuptierit. . . . (5) Cum ergo culpabilis non sit generandi intentione concubitus qui proprie nuptias impediendus est; quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges debitum carnis exposcent non propaginis voluntate, sed libidinis voluptate? Quae tamen voluptas non propter nuptias eadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Immoderata ergo progressio secundum veniam conceditur. Quocirca et hinc laudabiles sunt nuptiae, quia etiam illud quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se. Non enim iste concubitus quo servitur concupiscentiae agit ut impletur fetus, quem postulant nuptiae. Omnino ergo in genere suo nuptiae bonae sunt: quia fidem tori servant, et prolis suscipiendae causa utramque sexum committent, et impietatem separationis horrent. Sanctitati etiam conjugii nec conjugum infidelis obesse potest; sed potius fidelis prodest infideli, ut Apostolus (1 Corinth. 7) docet.» Ex his ostenditur quod conjuges qui causa prolis tantum conveniunt, vel qui exigentibus debitum reddunt, defendunt a peccato sanctitatis conjugii, bonumque nuptiale. Si enim abisset peccatum non posset fieri concubitus conjugialis, non praecipisset Do-

(1) In Epist. ad Ephes., cap. 5. (Ex edit. P. Nicolai).

(2) Al. deest alia permissio.

(3) Nihil tale in lib. de verbis Apostoli. Sic autem ex Eucherio Beda in hunc locum; «Posset putari hoc non esse peccatum, nisi et Apostolus addidisset: Hoc ergo dico secundum veniam, non secundum imperium. Quis autem negot esse peccatum, cum dari veniam facientibus apostolica auctoritate fateatur propter haec et alia huiusmodi peccata oportet quotidie dicimus: Dimitte nobis etc.» (Ex edit. P. Nicolai).

(4) Et cap. 11 (Ex edit. P. Nicolai).

(5) Et lib. 1 de Nuptiis et Concupisc., cap. 14 (Ex edit. P. Nicolai).

minus post diluvium eos copulari, dicens (Gen. 9, 7): «Crescite et multiplicamini; cum jam sine carnali concupiscentia non possit commiseri.

Quod non omnis delectatio carnis peccatum est.

Sed forte aliquis dicit, omnem carnalium concupiscentiam, et delectationem quae est in coitu, malum esse et peccatum, quia ex peccato est, et inordinata. Et nos dicimus illam concupiscentiam semper malam esse, quia foeda est et poena peccati, sed non semper peccatum est. Saep enim delectatur vir sanctus secundum carnem in aliqua re; ut requiescendo post laborem, edendo post esuriam; nec tamen talis delectatio est peccatum; nisi sit immoderata. Sic et delectatio quae fit in coitu conjugali, cui adstunt illa tria bona, a peccato defenditur. Videtur tamen beatus Gregorius aliter sentire (lib. 12 epist., indict. 7, epist. 51), scilicet quod sine peccato non possit fieri carnalis commixtio, dicens: «Vir cum propria conjugio domiens, nisi lotus aqua Ecclesiam intrare non debet. Quamvis diversae hominum nationes de hac re diversa sentiant, et alia custodire videntur; Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriae conjugis, et lavacris purificationem quaerere et ab ingressu Ecclesiae paululum temperare. Nec hoc dicentes, culpam deputamus esse conjugium; sed quia ipsa illicita admixtio conjugis sine voluptate carnis fieri non

potest, a sacri loci ingressu abstinendum est, quia voluptas illa sine culpa nullatenus esse potest.»

Determinat auctoritatem.

Hoc autem ne praedictis obviet, intelligendum est in illis qui (1) non gratia prolis conveniunt, quorum voluptas non est sine peccato; et vix aliqui reperiri possunt adhuc amplexus carnales experientes, qui non interdum conveniant praeter intentionem procreandae prolis. Hoc autem quoties fit, ab ingressu Ecclesiae abstinendum est. Et quod ita intelligendum sit, Gregorius consequenter ostendit: «Si quis vero in sua conjugio non cupidine voluptatis raptus, sed tantum creatorum liberorum gratia utitur; iste profecto sine de ingressu Ecclesiae, sive de sumendo corporis diminui mysterio, suo est iudicio relinquendus: quia prohiberi a nobis non debet accipere qui in igne positus necesse ardet. Cum vero non operi procreandae sobolis, sed voluptas dominatur in amore commixtionis, habent conjuges etiam de commixtione sua quod defleant. Tunc autem vir qui post admixtionem conjugis lotus aqua fuerit, etiam sacram commixtionem valeat accipere, cum ei secundum praefinitam sententiam Ecclesiam etiam liceat intrare.»

(1) Al. deest non.

Divisio textus.

Postquam determinavit Magister de causis quibus constituitur matrimonium ipsum, hic determinat de causis honestatis ipsius; scilicet de bonis conjugii, quibus actus matrimonii honestatur; et dividit in partes duas: in prima determinat de bonis matrimonii quantum ad matrimonium, secundum quod nudum agitur; in secunda ostendit quomodo huiusmodi bona erant in matrimonio antiquorum patrum, 53 dist. ibi: *Quaeritur hic de antiquis patribus etc.* Prima in duas: in prima determinat de bonis conjugii, quibus matrimonii actus excusatur; in secunda determinat de actu matrimonii, qui per bona praedicta excusatur, secundum quod insuper habet rationem debiti; 52 dist. ibi: *Sciendum est etiam, quia cum in omnibus aliis vir praesit mulieri . . . in solvendo tamen carnis debito pares sunt.* Prima in duas: in prima determinat de bonis conjugii, quomodo in matrimonio inveniantur; in secunda ostendit quando per ea actus conjugalis excusatur, ibi: *Cum haec ergo tria bona in aliquo conjugio simul concurrunt, ad excusationem coitus carnalis valent.* Prima in duas: in prima ostendit quae sint tria bona conjugii; in secunda qualiter se habeant ad matrimonium, ibi: *Est et sciendum, ab aliquibus contrahi conjugium, ubi haec tria bona non committuntur.* Et circa hoc duo facit: primo ostendit quod unum praedictorum honorum in quolibet matrimonio invenitur, scilicet sacramentum; quamvis non alia duo, scilicet fides et proles, quae aliquando secundum actum matrimonium desunt; secundo determinat de matrimonio, in quo etiam intendit illorum duorum non salvatur, ibi: *Solet quaeri, cum masculus et femina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibi met non florum procreandorum, sed pro incontinentia solius concubitus causa copulantur etc.* Et circa hoc tria facit: primo determinat de matrimonio in quo non intenditur bonum prolis; secundo de eo in quo non solum non intenditur, sed etiam impeditur, ibi: *Qui vero venena sterilitatis procurant, non conjuges,*

sed fornicarii sunt; tertio determinat quandam quaestionem incidentem: *Hic quaeri solet de his qui abortum procurant.*

Cum ergo haec tria bona in aliquo conjugio simul concurrunt, ad excusationem coitus carnalis valent. Hic ostendit quomodo per bona praedicta actus conjugalis excusatur; et circa hoc duo facit; primo determinat veritatem; secundo ponit objectiones in contrarium, ibi: *Sed si concubitus qui sit causa prolis, culpa caret, quid Apostolus secundum indulgentiam permittit?* Et circa hoc duo facit: primo obicit contra excusationem matrimonialis actus, ostendens quod matrimonium excusatione non indiget; secundo ostendens quod excusari non possit, quin culpa careat, ibi: *Sed forte aliquis dicit etc.* Et circa hoc duo facit: primo obicit per rationem; secundo per auctoritatem, ibi: *Videtur tamen sentire aliter beatus Gregorius; et quaelibet harum dividitur in objectionem et solutionem, ut per se patet in littera.*

QUAESTIO I.

Hic est duplex quaestio. Prima de bonis matrimonii. Secunda de excusatione actus matrimonialis per bona praedicta.

Circa primum quaeruntur tria: 1.º utrum debeant esse aliqua bona ad excusandum matrimonium; 2.º quae et quot sint; 3.º qualiter ad matrimonium se habeant.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum matrimonium debeat habere aliqua bona quibus excusetur.

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod matrimonium non debeat habere aliqua bona quibus excusetur. Sicut enim conservatio individui, quae fit per ea quae ad nutrivam pertinent, est de intentione naturae; ita conservatio speciei, quae fit per matrimonium; et multo magis, quanto melius

et divinius est bonum speciei quam bonum unius individui. Sed ad actum nutritivae excusandum non indiget aliquibus. Ergo nec etiam ad excusandum matrimonium.

2. Praeterea, secundum Philosophum, in 8 Ethicor. (cap. 12, vel 14), amicitia quae est inter virum et uxorem, est naturalis, et claudit in se honestum, utile et delectabile. Sed illud quod de se est honestum, non indiget aliqua excusatione. Ergo nec bona excusantia debent matrimonio attribui.

3. Praeterea, matrimonium institutum est in remedium et in officium, ut supra, dist. 25, quaest. 2, art. 1 et 2, dictum est. Sed secundum quod est in officium, non indiget excusatione: quia sic etiam in paradiso excusatione indignisset, quod falsum est: ibi enim fuisset nuptiae honorabiles, et torus immaculatus, ut Augustinus dicit (super Gen. ad litteram, lib. 9, cap. 5). Similiter nec secundum quod est in remedium; sicut nec alia sacramenta, quae in remedium peccati instituta sunt. Ergo matrimonium huiusmodi excusantia habere non debet.

4. Praeterea, ad omnia quae honeste fieri possunt, virtutes dirigunt. Si ergo matrimonium aliquibus bonis potest honestari, non indiget aliis honestantibus quam animi virtutibus; et sic non debent matrimonio aliqua bona assignari quibus honestetur, sicut nec aliis in quibus virtutes dirigunt.

Sed contra, ubicumque est indulgentia, ibi est necessaria aliqua excusationis ratio. Sed matrimonium conceditur in statu infirmitatis secundum indulgentiam, ut patet 1 Corinth., 7. Ergo indiget per aliqua bona excusari.

Praeterea, concubitus matrimonialis et fornicarius sunt ejusdem speciei quantum ad speciem naturae. Sed concubitus fornicarius est de se turpis. Ergo ad hoc quod matrimonialis non sit turpis, oportet ei aliquid addi quod ad honestatem ejus pertinet, et in aliam speciem moris trahat.

Solutio. Respondeo dicendum, quod nullus sapiens debet jacturam aliquam sustinere nisi pro aliqua recompensatione alicujus aequalis vel melioris boni; unde electio alicujus quod aliquam jacturam habet annexam, indiget alicujus boni ad junctione, per cuius recompensationem ordinetur, et honestetur. In conjunctione autem viri et mulieris rationis jactura accidit: tum quia propter vehementiam delectationis absorbetur ratio, ut non possit aliquid intelligere in ipsa, ut Philosophus dicit: tum etiam propter tribulationem carnis, quam oportet tales sustinere ex solitudine temporalium, ut patet 1 Corinth., 7; et ideo electio talis conjunctionis non potest esse ordinata nisi per recompensationem aliquorum ex quibus dicta conjunctio honestetur; et haec sunt bona quae matrimonium excusant, et honestum reddunt.

Ad primum ergo dicendum, quod in actu comestionis non est est tam vehemens delectatio rationem absorbens, sicut in praedicta delectatione: tum quia vis generativa, per quam originale traducitur, est infecta et corrupta; nutritiva autem per quam non traducitur, est corrupta et non infecta: tum quia defectum individui quilibet magis sentit in seipso quam defectum speciei. Unde ad excitandum ad comestionem, secundum quam defectui individui subvenitur, sufficit sensus ipsius defectus; sed ad excitandum ad actum quo defectui speciei subvenitur,

divina providentia delectationem apposuit in actu illo, quae etiam alia bruta movet, in quibus non est infectio originalis peccati. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod ista bona quae matrimonium honestant, sunt de ratione matrimonii; et ideo non indiget eis quasi exterioribus quibusdam ad honestandum, sed quasi causantibus in ipso honestatem quae ei secundum se competit.

Ad tertium dicendum, quod matrimonium ex hoc ipso quod est in officium vel remedium, habet rationem utilis et honesti; sed utrumque horum ei competit ex hoc quod huiusmodi bona habet, quibus fit et officiosum, et remedium ad concupiscentiam adhibens.

Ad quartum dicendum, quod aliquis actus virtutis honestatur et virtute quasi principio elicivito, et circumstantiis quasi formalibus principiis ipsius. Hoc autem modo se habent bona ad matrimonium sicut circumstantiae ad actum virtutis, ex quibus habet quod virtutis actus esse possit.

ARTICULUS II.

Utrum sufficienter bona matrimonii assignentur in littera. — (4 cont. Gen., cap. 78, in fine.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod insufficienter bona matrimonii assignentur in littera; scilicet fides, proles, et sacramentum. Quia matrimonium non solum fit in hominibus ad prolem procreandam et nutriendam; sed ad consortium communis vitae propter operum communicationem, ut dicitur in 8 Ethic. (cap. 12 vel 14). Ergo sicut ponitur proles bonum matrimonii, ita deberet poni communicatio operum.

2. Praeterea, conjunctio Christi ad Ecclesiam, quam matrimonium significat, perficitur per caritatem. Ergo inter bona matrimonii magis deberet poni caritas quam fides.

3. Praeterea, in matrimonio sicut exigitur quod neuter conjugum ad alterius torum accedat, ita exigitur quod unus alteri debitum reddat. Sed praemium pertinet ad fidem, ut in littera dicitur. Ergo deberet etiam justitia propter redditionem debiti inter bona matrimonii computari.

4. Praeterea, sicut in matrimonio, in quantum significat conjunctionem Christi et Ecclesiae, requiritur indivisibilitas; ita et unitas, ut sit una unius. Sed sacramentum quod inter tria bona conjugii computatur, pertinet ad indivisionem. Ergo deberet esse aliquid aliud quod pertineret ad unitatem.

5. Sed contra, videtur quod superfluat. Quia unica virtus sufficit ad unicum actum honestandum. Sed fides est quaedam virtus. Ergo non oportuit alia duo addere ad honestandum matrimonium.

6. Praeterea, non ex eodem aliquid accipit rationem utilis et honesti; cum utile et honestum ex opposito bonum dividant. Sed ex prole matrimonium accipit rationem utilis. Ergo proles non debet computari inter bona quibus matrimonium honestatur.

7. Praeterea, nihil debet poni ut proprietas vel conditio sui ipsius. Sed haec bona ponuntur ut quaedam conditiones matrimonii. Ergo cum matrimonium sit sacramentum, non debet poni sacramentum inter bona matrimonii.

Solutio. Respondeo dicendum, quod matrimonium est in officium naturae, et est sacramentum

ARTICULUS III.

Utrum sacramentum sit principalis inter matrimonii bona.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod sacramentum non sit principalis inter matrimonii bona. Quia finis est potissimum in innoquoque. Sed proles est matrimonii finis. Ergo proles est principalis matrimonii bonum.

2. Praeterea, principalis est in ratione speciei differentia, quae complet speciem, quam genus; sicut forma quam materia in constitutione rei naturalis. Sed sacramentum competit matrimonio ex ratione sui generis; proles autem et fides ex ratione differentiae, in quantum est tale sacramentum. Ergo alia duo sunt magis principalia in matrimonio quam sacramentum.

3. Praeterea, sicut invenitur matrimonium sine prole et fide; ita invenitur sine inseparabilitate; sicut patet quando alter conjugum ante matrimonium consummatum ad religionem transit. Ergo nec ex hac ratione sacramentum est in matrimonio principalis.

4. Praeterea, effectus non potest esse principalior sua causa. Sed consensus, qui est causa matrimonii, mutatur frequenter. Ergo et matrimonium dissolvi potest; et sic inseparabilitas non semper concomitatur matrimonium.

5. Praeterea, sacramenta quae habent effectum perpetuum, imprimunt characterem. Sed in matrimonio non imprimitur character. Ergo non adest ei inseparabilitas perpetua; et ita sicut est matrimonium sine prole, ita potest esse sine Sacramento; et sic idem quod prius.

Sed contra, illud quod ponitur in definitione rei, est sibi maxime essentialia. Sed indivisio quae pertinet ad sacramentum, ponitur in definitione supra de matrimonio data; non autem proles, vel fides. Ergo sacramentum inter alia matrimonio est essentialia.

Praeterea, virtus divina, quae in sacramentis operatur, est efficacior quam virtus humana. Sed proles et fides pertinent ad matrimonium, secundum quod est in officium naturae humanae; sacramentum autem secundum quod est ex institutione divina. Ergo sacramentum est principalis in matrimonio quam alia duo.

Solutio I. Respondeo dicendum, quod aliquid dicitur in re aliqua principaliter altero duobus modis: aut quia est essentialis, aut quia dignus. Si quia dignus, sic omnibus modis sacramentum est principaliter inter tria conjugii bona: quia pertinet ad matrimonium in quantum est sacramentum gratiae; alia vero duo pertinent ad ipsum in quantum est quoddam naturae officium: perfectio autem gratiae est dignior perfectione naturae. Sicut autem dicitur principaliter quod est essentialis, sic distinguendum est: quia fides et proles possunt dupliciter considerari. Uno modo in seipsis; et sic pertinent ad usum matrimonii, per quem et proles producitur, et pactio conjugalis servatur; sed indivisibilitas, quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se; quia ex hoc ipso quod per pactioem conjugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum conjuges tradunt, sequitur quod separari non possint; et inde est quod matrimonium nunquam invenitur sine inseparabilitate; invenitur autem sine

Ecclesiae. In quantum ergo est in officium naturae, duobus ordinatur, sicut et quilibet alius virtutis actus: quorum unum exigitur ex parte ipsius agentis, hoc est intentio finis debiti, et sic ponitur bonum matrimonii proles: aliud exigitur ex parte ipsius actus, qui est bonus in genere ex hoc quod cadit supra debitam materiam; et sic est fides, per quam homo ad suam accedit, et non ad aliam. Sed ulterius habet aliquam bonitatem in quantum est sacramentum; et hoc significatur ipso nomine sacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod in prole non solum intelligitur procreatio proles, sed etiam educatio ipsius, ad quam sicut ad finem ordinatur tota communicatio operum quae est inter virum et uxorem, in quantum sunt matrimonio juncti, quia patres naturaliter thesaurizant filiis, ut patet 2 Corinth., 12; et sic in prole, quasi in principali fine, alius quasi secundarius includitur.

Ad secundum dicendum, quod fides non accipitur hic prout est virtus theologica, sed prout est pars justitiae, secundum quod fides dicitur ex hoc quod fiunt dicta in observatione promissorum: quia in matrimonio, cum sit quidam contractus, est quaedam promissio, per quam talis vir tali mulieri determinatur.

Ad tertium dicendum, quod sicut in promissione matrimonii continetur ut neuter ad alterum torum accedat; ita etiam quod sibi invicem debitum reddant; et hoc etiam est principalis, cum consequatur ex ipsa mutua potestate invicem data; et ideo utrumque ad fidem pertinet; sed in littera ponitur illud quod est minus manifestum.

Ad quartum dicendum, quod in Sacramento non solum intelligenda est indivisio, sed omnia illa quae consequuntur matrimonium ex hoc quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiae. Vel dicendum, quod unitas quam objecto tangit, pertinet ad fidem, sicut indivisio ad sacramentum.

Ad quintum dicendum, quod fides non accipitur hic pro aliqua virtute, sed pro quadam conditione virtutis, ex qua fides nominatur, quae ponitur pars justitiae.

Ad sextum dicendum, quod sicut debitum usus boni utilis accipit rationem honesti, non quidem ex utili, sed ex ratione quae rectum usum facit; ita etiam ordinatio ad aliquod bonum utile potest facere bonitatem honestatis ex vi rationis debitam ordinationem facientis; et hoc modo matrimonium ex hoc quod ordinatur ad prolem, utile est; et nihilominus honestum, in quantum debite ordinatur.

Ad septimum dicendum, quod, sicut Magister dicit in littera, sacramentum non dicitur hic ipsum matrimonium, sed inseparabilitas ejus, quae est ejusdem rei signum ejus et matrimonium. Vel dicendum, quod quamvis matrimonium sit sacramentum, tamen aliud est matrimonium esse matrimonium, et aliud est esse sacramentum: quia non solum ad hoc est institutum ut sit in signum rei sacrae, sed etiam ut sit in officium naturae; et ideo ratio sacramenti est quaedam conditio adveniens matrimonio secundum se considerato, ex quo etiam honestatem habet; et ideo sacramentalitas ejus, ut infra dicam, ponitur inter bona honestantia matrimonium; et secundum hoc in tertio bono matrimonii, scilicet Sacramento, non solum intelligitur inseparabilitas, sed etiam omnia quae ad significationem ipsius pertinent.

fide et prole, quia esse rei non dependet ab usu suo; et secundum hoc sacramentum est essentialius matrimonio quam fides et proles. Alio modo possunt considerari fides et proles secundum quod sunt in suis principiis, ut pro prole accipiatur intentio prolis, et pro fide debitum servandi fidem; sine quibus etiam matrimonium esse non potest, quia haec in matrimonio ex ipsa pactione conjugali causantur; ita quod si aliquid contrarium hujusmodi exprimeretur in consensu qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium; et sic accipiendum fidem et prolem, proles est essentialissimum in matrimonio, et secundo fides, et tertio sacramentum; sicut etiam homini est essentialius esse naturae quam esse gratiae, quamvis esse gratiae sit dignius.

Ad primum ergo dicendum, quod finis secundum intentionem est primum in re, sed secundum consecutionem est ultimum; et similiter se habet proles inter matrimonii bona; et ideo quodammodo est principalis, et quodammodo non.

Ad secundum dicendum, quod sacramentum, etiam prout ponitur tertium matrimonii bonum, pertinet ad matrimonium ratione suae differentiae. Dicitur enim sacramentum ex significatione hujus rei sacrae determinatae, quam matrimonium significat.

Ad tertium dicendum, quod nuptiae, secundum Augustinum (de Bono conjug. cap. 4), sunt bonum mortalium; unde in resurrectione non nubent neque nubentur, ut dicitur Math. 22; et ideo vinculum matrimonii non se extendit ultra vitam in qua contrahitur (1); et ideo dicitur inseparabile, quia non potest in hac vita separari; sed per mortem separari potest, sive corporalem post carnalem conjunctionem, sive spiritualement, post spiritualement tantum.

Ad quartum dicendum, quod quamvis consensus qui facit matrimonium, non sit perpetuus materialiter, id est quantum ad substantiam actus; quia ille actus cessat, et potest contrarius succedere; tamen, formaliter loquendo, est perpetuus; quia est de perpetuitate vinculi, alias non faceret matrimonium; non enim consensus ad tempus ad aliquam matrimonium facit. Et dico *formaliter*, secundum quod actus accipit speciem ab objecto; et secundum hoc matrimonium ex consensu inseparabilitatem accipit.

Ad quintum dicendum, quod in sacramentis in quibus imprimitur character, traditur potestas ad actus spirituales; sed in matrimonio ad actus corporales; unde matrimonium ratione potestatis quam in se invicem conjuges accipiunt, convenit cum sacramentis in quibus character imprimitur, et ex hoc habet inseparabilitatem, ut in littera dicitur; sed differt ab eis, inquantum potestas illa est ad actus corporales; et propter hoc non imprimit characterem spiritualement.

QUAESTIO II.

Deinde quaeritur qualiter per bona praedicta matrimonium excusetur; et circa hoc quaeruntur tria: 1.º utrum praedicta bona possint excusare actum matrimonii, ut non sit omnino peccatum; 2.º utrum sine eis a peccato aliquando excusari possit; 3.º utrum quando est sine eis, semper sit peccatum mortale.

(1) *Id. trahitur.*

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum actus matrimonii possit excusari per bona praedicta, ut non sit peccatum. — (1-2, qu. 54, art. 1, ad 1; 2-2, quaest. 155, art. 5; et 3 cont. Gent., cap. 126.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod actus matrimonii non possit excusari per bona praedicta, ut non sit omnino peccatum. Quia quicumque sustinet damnum majoris boni propter minus bonum, peccat, quia inordinate sustinet. Sed bonum rationis, quod laeditur in ipso actu conjugali, est majus quam haec tria conjugii bona. Ergo praedicta bona non sufficient ad excusandum conjugalem concubitum.

2. Praeterea, si bonum malo addatur in genere moris, totum efficitur malum; non autem totum bonum: quia una circumstantia mala facit actum malum, non autem una bona facit ipsum bonum. Sed actus conjugalis secundum se malus est, alias excusatione non indigeret. Ergo boni matrimonii adjuncta non possunt ipsum bonum facere.

3. Praeterea, ubicumque est immoderatio passionis, ibi est vitium in moribus. Sed bona matrimonii non possunt efficere quin delectatio illius actus sit immoderata. Ergo non possunt excusare quin sint peccatum.

4. Praeterea, verecundia non est nisi de turpi actu, secundum Damascenum (de Fid. orthod., lib. 2, cap. 13). Sed bona matrimonii non tollunt erubescendum ab illo actu. Ergo non possunt excusare, quin sint peccatum.

Sed contra, concubitus conjugalis non differt a fornicario nisi per bona matrimonii. Si ergo haec non sufficient excusare ipsum, tunc matrimonium semper illicitum remaneret; quod est contra id quod habitum est supra, 26 dist., quaest. 1, art. 5.

Praeterea, bona matrimonii se habent ad actum ejus sicut circumstantiae debent, ut dictum est. Sed circumstantiae tales sufficient facit quod aliquis actus non sit malus. Ergo et haec bona possunt excusare matrimonium, ut nullo modo sit peccatum.

Solutio. Respondeo dicendum, quod aliquis actus dicitur excusari dupliciter. Uno modo ex parte facientis, ita quod non imputetur facienti in culpam, quamvis sit malus, vel saltem non in tantam culpam; sicut ignorantia dicitur excusare peccatum in toto vel in parte. Alio modo dicitur excusari actus ex parte sui, ita scilicet quod non sit malus; et hoc modo praedicta bona dicuntur excusare actum matrimonii. Ex eodem autem habet actus aliquis quod non sit malus in genere moris, et quod sit bonus: quia non est aliquis actus indifferens, ut in 2 lib., dist. 40, art. 3, dictum est. Dicitur autem aliquis humanus actus bonus dupliciter. Uno modo bonitate virtutis; et sic actus habet quod sit bonus ex his quae ipsum in medio ponunt; et hoc faciunt in actu matrimonii fides et proles, ut ex dictis patet; alio modo bonitate sacramenti, secundum quod actus non solum bonus sed etiam sanctus dicitur; et hanc bonitatem habet actus matrimonii ex indivisibilitate conjunctionis, secundum quam signat conjunctionem Christi ad Ecclesiam. Et sic patet quod praedicta sufficienter actum matrimonii excusant.

Ad primum ergo dicendum, quod per matri-

monii actum non incurrit homo damnum rationis quantum ad habitum, sed solum quantum ad actum. Nec est inconveniens quod quandoque aliquis actus melior secundum genus suum interrumpatur pro aliquo minus bono actu: hoc enim sine peccato fieri potest, sicut patet in eo qui a contemplatione cessat, ut interdum actioni vacet.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procederet, si malum quod inseparabiliter concomitatur concubitum, esset malum culpae: nunc autem non est malum culpae, sed poenae tantum, quae est inobedientia concupiscentiae ad rationem; et ideo ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod superabundantia passionis quae vitium facit, non attenditur secundum intensionem quantitativam ipsius, sed secundum proportionem ad rationem; unde tunc solum passio reputatur immoderata, quando limites rationis excedit. Delectatio autem quae fit in actu matrimoniali, quamvis sit intensissima secundum quantitatem, tamen non excedit limites sibi a ratione praefixos ante principium suum, quamvis in ipsa delectatione ratio eos ordinare non possit.

Ad quartum dicendum, quod turpitudine illa quae semper est in actu matrimonii, et erubescendum facit, turpitudine est poenae, et non culpae: quia de quolibet defectu homo naturaliter erubescit.

ARTICULUS II.

Utrum actus matrimonii excusari possit etiam sine matrimonii bonis.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod actus matrimonii excusari possit etiam sine matrimonii bonis. Qui enim a natura tantum movetur ad actum matrimonii, non videtur aliquod bonum intendere; quia bona matrimonii pertinent ad gratiam vel virtutem. Sed quando aliquis solo naturali appetitu movetur ad actum praedictum, non videtur esse peccatum: quia nullum naturale est malum, cum malum sit praeter naturam et praeter ordinem, ut dicit Dionysius (de div. Nom., cap. 4, part. 4). Ergo actus matrimonialis potest excusari etiam sine bonis matrimonii.

2. Praeterea, ille qui utitur conjuge ad fornicationem vitandam, non videtur aliquod bonum matrimonii intendere. Sed talis non peccat, ut videtur, quia ad hoc est matrimonium concessum humanae infirmitati, ut fornicatio vitetur: 1 Cor., 7. Ergo etiam sine bonis matrimonii potest actus ejus esse excusatus.

3. Praeterea, ille qui utitur re sua ad libitum, non facit contra justitiam; et sic non peccat, ut videtur. Sed per matrimonium uxor efficitur res viri, et e converso. Ergo si se invicem ad libitum utuntur libidine movente, non videtur esse peccatum; et sic idem quod prius.

4. Praeterea, illud quod efficitur bonum ex genere, non efficitur malum nisi ex mala intentione fiat. Sed actus matrimonii quo quis suam cognoscit, est ex genere bonus. Ergo non potest malus esse, nisi mala intentione fiat. Sed potest bona intentione fieri, etiam si non intendatur aliquod matrimonii bonum; puta cum quis per hoc salutem corporalem intendit servare aut consequi. Ergo

S. Th. Opera omnia. V. 7.

videtur quod etiam sine matrimonii bonis actus ille possit excusari.

Sed contra, remota causa removetur effectus. Sed causa honestatis actus matrimonialis sunt matrimonii bona. Ergo sine eis non potest actus matrimonialis excusari.

Praeterea, actus praedictus non differt ab actu fornicario nisi in praedictis bonis. Sed concubitus fornicarius semper est malus. Ergo, si non excusatur in praedictis bonis, etiam matrimonialis actus semper erit malus.

Solutio. Respondeo dicendum, quod sicut bona matrimonii, secundum quod sunt in habitu, faciunt matrimonium honestum et sanctum; ita etiam secundum quod sunt in actuali intentione, faciunt actum matrimonii honestum quantum ad illa duo bona quae ipsius actum respiciunt. Unde, quando conjuges conveniunt causa prolis procreandae, vel ut sibi invicem debitum reddant, quae ad fidem pertinent; totaliter excusantur a peccato. Sed tertium bonum non pertinet ad usum matrimonii, sed ad essentiam ipsius, ut dictum est; unde facit ipsum matrimonium honestum, non autem actum ejus, ut per hoc actus absque peccato reddatur; quia alicujus significationis causa conveniunt; et ideo duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt; scilicet causa prolis procreandae, et debiti reddendi; alias autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale.

Ad primum ergo dicendum, quod proles prout est bonum sacramenti, addit supra prolem prout est intentum a natura. Natura enim intendit prolem prout in ipsa salvatur bonum speciei; sed in prole secundum quod est bonum sacramenti matrimonii, ultra hoc intelligitur ut proles suscepta ulterius ordinetur in Deum; et ideo oportet quod intentio naturae qua prolem intendit, referatur actu vel habitu ad intentionem prolis prout est bonum sacramenti; alias staretur in creatura; quod sine peccato esse non potest; et ideo, quando natura tantum movet ad actum matrimonii, non excusatur a peccato omnino, nisi inquantum motus naturae ordinatur actu vel habitu ulterius ad prolem secundum quod est bonum sacramenti. Nec tamen sequitur quod motus naturae sit malus; sed quod sit imperfectus, nisi ad aliquod bonum matrimonii ulterius ordinetur.

Ad secundum dicendum, quod si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non est aliquod peccatum; quia hoc est quaedam redditio debiti, quod ad bonum fidei pertinet. Sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas; et secundum hoc est peccatum veniale: nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam, quae est de peccatis venialibus.

Ad tertium dicendum, quod una debita circumstantia non sufficit ad hoc quod actus sit bonus; et ideo non oportet quod qualitercumque quis re sua utatur, usus sit bonus; sed quando utitur re sua ut debet secundum omnes circumstantias.

Ad quartum dicendum, quod quamvis intendere sanitatis conservationem non sit per se malum; tamen haec intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitate intendatur quod non est ad hoc de ordinatum, sicut qui ex sacramento baptismi tantum salutem corporalem quaereret; et similiter est in proposito de actu matrimoniali.

ARTICULUS III.

Utrum aliquis peccet mortaliter cognoscens uxorem non intendens aliquod matrimonii bonum, sed solam delectationem.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod quodcumque aliquis uxorem cognoscit non intendens aliquod matrimonii bonum, sed solam delectationem, mortaliter peccat. Quia Hieronymus dicit (in cap. 5 Epist. ad Ephes.), et habetur in littera: *Voluptates quae de meretricum amplexibus capiuntur, in uxore damnandae sunt.* Sed non dicitur esse damnabile nisi peccatum mortale. Ergo cognoscere uxorem propter solam voluptatem, est peccatum mortale semper.

2. Praeterea, consensus in delectationem est peccatum mortale, ut in 2 lib. dist. 24, qu. 2, art. 4, in corp., dictum est. Sed quicumque cognoscit uxorem suam causa delectationis, consentit in delectationem. Ergo mortaliter peccat.

3. Praeterea, quicumque usum creaturae non refert in Deum, creatura fruitur; quod est peccatum mortale. Sed quicumque uxore propter solam delectationem utitur, hunc usum non refert in Deum. Ergo mortaliter peccat.

4. Praeterea, nullus debet excommunicari nisi pro peccato mortali. Sed aliquis sola libidine uxorem cognoscens arectur ab introitu Ecclesiae, ut in littera dicitur, quasi sit excommunicatus. Ergo omnis talis peccat mortaliter.

Sed contra est, secundum Augustinum, quod talis concubitus ponitur inter peccata quotidiana, pro quibus dicitur *Pater noster*, ut habetur in littera. Sed talia non sunt peccata mortalia. Ergo etc.

Praeterea, qui cibo utitur propter delectationem tantum, non peccat mortaliter. Ergo pari ratione qui utitur uxore tantum causa libidinis.

Solutio. Respondeo dicendum, quod quidam dicunt quod quodcumque ad actum conjugalem libido principaliter movet, est peccatum mortale; sed quando movet ex latere, tunc est peccatum veniale; quando autem delectationem omnino respicit, et displicet ei; tunc est omnino absque veniali peccato: ut sic delectationem in actu illo quaerere, sit peccatum mortale; delectationem oblatam acceptare, sit peccatum veniale; sed eam odire, sit perfectionis. Sed hoc non potest esse: quia, secundum Philosophum in 10 Ethic. (cap. 3, vel 8), idem est iudicium de delectatione et operatione: quia operationis bonae est delectatio bona, et malae mala. Unde cum actus matrimonialis non sit per se malus; nec quaerere delectationem erit peccatum mortale semper. Et ideo dicendum, quod si delectatio quaeratur ultra honestatem matrimonii, ut scilicet quia aliquis in conjugio non attendat quod conjux est, sed solum quod mulier est, idem paratus facere cum ea etsi non esset conjux, est peccatum mortale; et talis dicitur ardentior amator uxoris, quia scilicet ardor ille extra bona matrimonii effertur. Si autem quaeratur delectatio infra limites matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non

quaeretur quam in conjugio, sic est veniale peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quod tunc voluptates meretricias vir in uxore quaerit quando nihil aliud in ea attendit quam quod in meretrice attenderet.

Ad secundum dicendum, quod consensus in delectationem concubitus qui est mortale peccatum, est mortale peccatum; non autem talis est delectatio matrimonialis actus.

Ad tertium dicendum, quod quamvis delectationem non referat actu in Deum, tamen non ponit in ea ultimum voluntatis finem; alias eam ubique indifferenter quaereret; et ideo non oportet quod creatura fruatur, sed utitur creatura propter se; se autem habitualiter propter Deum, quamvis non actu.

Ad quartum dicendum, quod hoc non dicitur propter hoc quod ex hoc peccato homo excommunicationem mereatur; sed quia spiritualibus se reddit inhabilem, propter hoc quod in actu illo homo efficitur totus caro.

Expositio textus.

Solet quaeri, cum masculus et femina, nec ille maritus nec illa uxor alterius . . . pro incontinentia solus concubitus causa copulantur. De hoc in praecedentibus dist. dictum est, quoniam malus finis bonitatem matrimonii non tollit.

Qui vero venena sterilitatis procurant, non conjuges, sed fornicarii sunt. Hoc peccatum quamvis sit grave, et inter maleficia computandum, et contra naturam, quia etiam bestiae fetus expectant; tamen est minus quam homicidium; quia adhuc poterat alio modo impediri conceptus. Nec est iudicandus talis irregularis, nisi jam formato puerperio abortum procreet.

Semina paulatim formantur etc. De hoc habitum est in tertio, dist. 5.

Et postquam venter uxoris intumuerit, non perdunt filios. Quamvis enim matrix post impregnationem claudatur; tamen ex delectatione, ut Avicenna dicit, movetur et aperitur; et ex hoc imminet periculum abortus; et ideo Hieronymus vituperat accessum viri ad uxorem impregnatam; non tamen ita quod semper sit peccatum mortale; nisi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus.

Nec immutetur in eum usum qui est contra naturam. Usus contra naturam conjugis est, quando debitum vas praetermittit, vel debitum modum a natura institutum quantum ad situm; et in primo semper est peccatum mortale, quia proles sequi non potest, unde totaliter intentio naturae frustratur; sed in secundo modo non semper est peccatum mortale, ut quidam dicunt, sed potest esse signum mortalis concupiscentiae; quandoque etiam sine peccato esse potest, quando dispositio corporis alium modum non patitur; alias tanto est gravius, quanto magis a naturali modo receditur.

DISTINCTIO XXXII.

De solutione carnalis debiti.

Sciendum etiam est, quod cum in omnibus aliis vir praesit mulieri, ut caput corpori (et enim vir caput mulieris), in solvendo tamen carnis debito pares sunt. Ideo Apostolus utrique pariter praecipit in hac causa sibi invicem subijci, inquit (1 Corinth. 7, 5): « Vir debitum reddat uxori; si mulier et uxor viro; quia mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir; similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier; quia nec mulier ad alium virum, nec vir ad aliam mulierem potestatem sui corporis habet; nec vir ad continentium nec mulier potestatem habet sine mutuo consensu; sed alter alterius potestatem habet corporis, ut possenti alteri non liceat alteri negare debitum. In hoc enim pares sunt: quia nec viri nec mulieri corpus suum licet alii tradere, sed sibi invicem debitores sunt in hac causa, ne peccandi detur occasio; per quod non dominium tollitur viro, sed vitium. Debent enim sibi conjugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem liberorum procreandorum causa, quae prima est in ista mortalitate societate; verum etiam infirmitatis invicem expiendae, ad illicitos concubitus devitandos, matrum quodammodo servitium; ut etsi alteri eorum continentia placeat, nisi ex alterius consensu non possit; ad hoc enim neuter habet potestatem sui corporis: quod adeo verum est; ut etiam quod non filiorum procreandorum, sed infirmitatis et incontinentiae causa expellit, vel ille de matrimonio, vel illa (1), non sibi alterum negent, ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas. Reddere enim debitum conjugale nullus est criminis; exigere autem ultra generandi necessitatem, culpa est venialis; fornicari vero vel moechari, peccatis est criminis. (Ex Augustino, de bono conjugali, cap. 6 et 7.)

Quod neuter continere valeat nisi ex communi consensu.

Quod vero sine consensu uxoris vir continere non valeat, subdit probatur testimonio. Ait enim Augustinus (super Psalmum 146, et habetur in Decr. causa 55, quaest. 4, cap. « Si dicit »): « Si dicit vir, Continere jam volo, Nolo autem, uxor; non (2) potest; quod enim tibi vis, illa non vult. Numquid pro continentiam tuam illa debet fieri fornicaria? Si alii suggerit te vivo, adultera erit. Non vult tibi licere Deus tale damnum compensari. Redde debitum; et si non exigit, redde: pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigit, sed reddis quod debes (3) uxori. » Idem (epist. 199, ad Ecdicium, et refertur in Decretis, causa 55, quaest. 3, cap. « Secundum » verba «): « Secundum verba apostolica, etiamsi vir continere voluisset, et tu noluisset, debitum tibi reddere congeretur; et illi Deus imputaret continentiam, si non suae, sed tuae concederet infirmitati, ne in adulterium caderes. » (Et in Psal. 147): « Quisquis ergo compatiens infirmitati uxoris reddi, non exigit debitum, aut si propter propriam infirmitatem ducit uxorem, plangens potius quia sine uxore esse non potuit, quam gaudens quia duxit, securus expectat diem novissimum. » Idem (epist. 46): « Una sola causa esse potest qua te ad id quod voluisti, non modo (4) non horretur, sed etiam prohiberemus implere si forte tua concupiscentia non esset. Nam vovenda talia non sunt a conjugatis, nisi ex consensu et voluntate communi; et si praepropere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas quam persolvenda promissio. Non enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid voverit, sed potius usurpare vetat alienum. » Idem (lib. de adulterinis Conjugiis, cap. 2): « Apostolus nec ad tempus ut vacent orationi, nisi ex consensu, voluit conjugem carnali invicem fraudari debito. » Idem (in quaest. super lib. Numeri, cap. 39): « Manifestum est ita voluisse legem, feminam sub viro esse, ut nulla ejus vota quoque abstinentiae causa voverit, reddatur ab ea, nisi auctor fuerit vir permittendo. Nam cum ad peccatum ejusdem viri pertinere voverit lex, si prius permisisset, et postea prohiberit, non tamen dixit ut faciat mulier quod voverat, quia permissa jam prius a viro fuerat. Viri dixit esse peccatum, quia (5) abnuat quod prius

concesserat; non tamen mulieri ex hoc iussum (1) dedit ut cum prius vir ei concesserit, postea, si prohiberit, continere non possit. » Ex his apparet quod vir vel mulier continentiam Deo offerre non potest sine communi consensu, nec alteri debet negare debet. Si vero quilibet eorum alterum a suo iure absolverit, ad praetrium servitium nunquid revocare poterit? Hoc enim videtur Augustinus supra voluisse. Quibusdam videtur quod mulier non discedens a domo viro, quae viro permittente continentiam voverit vel promiserit, eodem prohibente solvere non valeat, et hoc propter dignitatem viri, qui est caput mulieris. Sed melius hoc intelligitur in tali casu, ubi vir concedit mulieri vovere continentiam, et ante votum prohibet implere. Si vero habitum mutaverit, non potest revocari, secundum illud (2) (Decret. causa 55, quaest. 3, cap. « Qui uxorem »): « Qui uxorem suam velle permiserit, aliam non accipiat, sed similiter convertatur. »

Quibus temporibus cessandum sit a coitu.

Et licet debitum possenti sit semper solvendum; non licet tamen quilibet die posere. Unde Augustinus (alius Augustinus in lib. Quaest. novi et vet. test., cap. 127): « Christiano enim uxore sua aliquando licet convenire, aliquando non. Propter processionis enim dies et jejuniarum, aliquando non licet convenire: quia etiam a licitis abstinentium est, ut facilius impetrari possit quod postulat. » Idem (serm. 2 de temp.): « Quoties enim vel dies Nativitatis vel reliquae festivitatis advenerint, non solum a concubinarum consortio (5), sed etiam a propriis uxoris abstinete. » Item Ambrosius (in Ambrosiaster in 1 Corinth., cap. 7): « Si causa procreandorum filiorum ducatur uxori, non multum tempus cessum videatur ad ipsam usum: quia et dies festi et dies processionis, et ipsa ratio conceptus et partus iuxta legem cessare usum carnis his debere temporibus demonstrant. »

Hieronymus videtur dissentire a praemissis.

Illi autem quod dictum est, reddere debitum non esse peccatum, videtur obviare quod ait Hieronymus (4): « Quicumque uxori debitum reddidit, vaece non potest oratione; nec carnes agni edere. » Item (ibid.): « Si panes propositionis ab his qui uxores suas tegerant, comedi non poterant; quanto magis panis qui de caelo descendit, non potest ab his qui conjugibus paulo ante haesere complexibus, violari atque contingi? Non quod nuptias condemnemus; sed quod eo tempore quo carnes agni manducantur sumus; vaece a carnalibus operibus debeamus. » Hoc capitulum maxime ad ministros Ecclesiae pertinere videtur, quibus non licebat sacra officia celebrare atque mysteria tempore conjugalis amplexus, quo etiam praesentia Spiritus sancti non datur. Unde idem ait (3) (super Matth.): « Conubia legitima carent quidem peccato; nec tamen tempore illo quo conjugales actus geruntur, praesentia Spiritus sancti dabitur, etiamsi propheta esse videatur qui officio generationis obsequitur. »

Quibus temporibus non sunt celebrandae nuptiae.

Nec solum in opere carnali observanda sunt tempora, sed etiam in celebrandis nuptiis, secundum illud (quod refertur in Decretis causa 55, quaest. 4, cap. « Non oportet » ex Concilio Hieronymi): « Non oportet a septuagesima usque in octavam Paschae, et tribus hebdomadibus ante festum sancti Joannis, et ab adventu Domini usque post Epiphaniam celebrare nuptias. Quod si factum fuerit, separantur. » Item Nicolaus Papa (6): « Nec uxorem ducere, nec conjugia facere quadragesimali tempore, convenire posse ullo modo arbitror. »

(1) Nicolai permissum.

(2) Idem: canonice statutum ex Concilio Rhemensi relatum in Decretis causa 59, quaest. 3, cap. *Qui uxorem*.

(3) Nicolai: ab infelici concubinarum consortio.

(4) In Vigilia Paschae de usu agni. Sic in Decretis causa 55, quaest. 4, cap. *Scitis praenotatur*. Sed Hieronymi opus non est (*Ex edit. P. Nicolai*).

(5) Ex illo quidem in Decretis refertur ubi supra, cap. *Conubia*; sed Origenis potius est hom. 6 in Numeros, ut ibidem additur (*Ex edit. P. Nicolai*).

(6) Primus ad consulta Bulgarorum cap. 4 et 8, et refertur in Decretis ut supra cap. *Nec uxorem* (*Ex edit. P. Nicolai*).

(1) Nicolai supplet ex Augustino de marito.

(2) Al. deest non.

(3) Nicolai debetur.

(4) Idem: quia te id quod vovisti, non modo etc.

(5) Al. qui.